

- valetudine, vel infirmo mortuo petat, & consequetur mercedem, immò etiam dicunt D.D. Medicum teneri propriis expensis ægrotum curare, si in frenesim incidat, nec utatur ratione ad faciendas necessarias expensas, quia postmodum repetet, non obstante, quod ægrotus obeat, quia sufficit, si utiliter cepit opus, ut latè proficitur, *glos. in V. Inferas in Summa dist. 86.*, & post plures allegatos, *Barbosa in d. Summa dist. 86. per totum, Leoncil. de privil. paup. privil. 248. num. 3.* Quæ obligatio faciendi expensas de suo cessat, ubi sit hospitale pro infirmis, vel aliis, qui faciat de suo, ut bene notat, *Zachias d. lib. 6. tit. 1. q. 8. num. 12.*
- 13 Usque modo dicta habent locum attenda opinione eorum, qui sustinent ex simplici omissione incurri irregularitatē, quam sententiam latius examinavi in art. 14. primæ partis de negligentia in communi, & probabilem diximus, verum quia ibi pariter vidimus satis probabilem, immò forsā probabiliorē, quod ex simplici negligentia, etiam in eo, quod quis tenetur ex iustitia, non incuratur irregularitas, quia nullo jure id habetur expressum ad *tex. in c. 15. qui de Sententia excommunic. in 6.*, sequitur quod Medicus ex mera negligentia, & culpa, quæ totalitèr consistat in omittendo, non incurat Irregularitatem, licet peccet mortaliter, & tunc Medicus tantummodo fiat irregularis, quando ex imperitia, vel malitia occidit hominem, quod non obscure videtur colligi ex *c. Ad aures de etate, & qualit., & ordine perficiend.*, ubi adhibita diligentia ex alio capite Medicus dubitatur irregularis; *glos. tamen ibi in V. Remordeat ad finem*, tenet, quod etiam ex mera negligentia Medicus evadat irregularis.
- 14 Negligentia autem Medici ex pluribus capitibus potest resultare. Primò. Si negligat studere iis, quæ necessaria sunt pro cura, & medicamine ægroti, consideratis morbi circumstantiis, ut per Doctores, qui in arte scripserunt, vel discat, vel reme moretur modum midendi, & pharmaca, & unctiones opportunas applicandi, *c. Tuo nos de homicidio*, ibi omnemque studuit, quam debuit diligentiam, *Sayr. clau. Reg. lib. 1. c. 10. num. 3.*
- 15 Secundò. Fit negligens, si non visitet In-

firmos toties quoties optis est ad eorum curam, *Navar. Summa c. 5. nu. 60. ubi n. 61.* quod peccet mortalitèr, *Trulench. in expositione Decalogi lib. 4. c. 1. dub. 11.*, & refertur apud *Zachias qq. Medico legal. lib. 6. tit. 1. q. 7. nu. 1.* Glauconem Medicum de mandato Alexandri Magni Cruci affixum, ex eo quod Hefestionem infirmum deseruisset, ut quibusdam Spectaculis interesset, undè ille objerit, & numeris seqq. enumerat decem casus, in quibus Medicus peccat ex negligentia.

16 Tertio. Fit negligens, si non admoneat infirmum laborantem gravi morbo, ut confiteatur peccata sua, tenetur enim Medicus admonere, vel per se, vel saltem per alium, ut etiam supra tactum est, tum ex dispositione. *C. cum Infirmus de penit. & ymiss.*, tum ex motu proprio B. Pii V., licet nolentem confiteri non debeat desistere, si indè morbus ingravesceret, & salus periclitaretur, ut supra dictum est.

17 Quarto. Si non admoneat Infirmum per se, vel per alium de imminente periculo mortis, quia ex tali admonitione possunt sequi multa bona, puta ægrotus confiteatur peccata sua, & majori contritione peniteat, Sacramenta suscipiat, & ardentiori attentione consulat rebus suis, tam spiritualibus, quam temporalibus, quam admonitionem si negligat, & omittat posset ægrotus imparatus mortem subire cum gravi damno animæ, & corporis; undè Medicus peccat contra charitatem, *Trulench. loco supra citato V. Quinto si non admonet &c. Sylvester V. Medicus num. 3.*, *Versic. quartum, si Medicus incurrit negligentia culpam, Summa Tabiena V. Medicus nu. 15. Ludovic. Beia in prima parte responsionum casuum propositorum Bononiæ casu xi.*

18 Quintò. Si renuat, vel omittat mederi pauperem, non potentem mercedem reddere, *Caroc. de locat. & cond. p. 2. rub. de Medic. q. 3. nu. 5.*, & seqq., & post plures Medicos, & Hipocratem in præcept. nu. 5. Notavit Paul. Zachias qq. Medico leg. lib. 6. tit. 1. q. 8. nu. 8., *Leoncil. de privil. paup. p. 2. privileg. 248. ex pluribus congestis à Barbosa in Summa dist. 83. post glos. ibi in V. Inferas. D. Tho. 22. q. 61. art. 1.*, ubi refert Beatissimam Virginem Mariam apparuisse in somnis cuidam Medico, & monuisse, ut artis munera egentibus gratis, abundeque

deque largiretur, & in *c. Ad aures num. 6. de etate, & qualit., & ordin.*

19 Sextò. Incurrit negligentia culpam, si negligat observare præcepta Ecclesiæ, putà consulendo de facili hominibus, ne Quadragesimam, & Jejunia ab Ecclesia indicta servent absque una, & rationabili causa, sed forsā ex humano respectu, vel alia negligenter, & non considerant præcepti gravitatem, nec rationabilitatem, contra quod consulunt nullis consideratis circumstantiis, in quo sepe Medici falluntur, & apparent potius hæreticis consentientes, quam filii Sanctæ Matris Ecclesiæ obedientes, quibus consiliis scandalizant homines, teste *Sylvestro V. Medicus num. 4. in fine*; Utinam nostris temporibus taliter non culpantur Medici, quibus non videtur sufficere rationem sibi esse reddendam de propriis, ut etiam velint de alienis culpari.

20 Describit Paulus Zachias plures modos, quibus Medicus sit negligens, *l. 6. q. q. Medico leg. q. 3. tit. 2. nu. 3.* Si lentè Medicus processit in morbo præcipiti tardè medicamenta admovendo, vel leviora propinando, sanguinis detractionem protrahendo, aut quantum detrahere oportuit non detrahendo, aut si vice evacuationis sanguinis per venæ sectionem contentus fuit cucurbitulis scarificatis, & similiter in reliquis, & *nu. 18.* notat, quod si talis omisio, non posset referri ad ignorantiam, tunc faceret præsumere negligentiam dolosam, ex regula, quod delicta non præsumuntur in dubio.

21 Quæ usque modo diximus de obligatione Medicorum potissimum habent locum pro foro conscientia, ut notat *Valerus de differentiis utriusque fori in V. Obligatio differentia 3. sub num. 2.*, ubi testatur, quod in foro externo nunquam vidit, aut audivit Medicum ob negligentiam, aut imperitiā fuisse condemnatum.

## V O T U M.

22 **T**Ribus Phylosophiæ, & Medicinæ Doctoribus de anno 1693, & 1694. respectivè fuerunt concessæ lecturæ cum Honorario ab Illustrissima Congregatione Studii generalis hujus nostræ patriæ, cum Clausula (senza pregiudizio d'altri, che

haveffero maggior merito d'anzianità, o di fatica) quæ Clausula excitavit duos alios ejusdem professionis doctores post illos quidem laureatos, sed prætendentes se diligentiores magis in studio elaborasse, & consequenter magis emeritos, qui insteterunt duas lecturas ex illis assignatis sibi adjudicari, undè isti actores suam diligentiam ostentabant in studio facultatis adhibitam, illos reos de negligentia notabant.

Causa mihi ad cognoscendum, & referendum cum voto ab eadem Illustrissima Congregatione commissa, quæ congregatio ex tribus nobilioribus viris de ordine equestri, cum titulo reformatorem Studii, inter quos primum locum tamquam caput D. Judex Sapientum Supremus Civitatis Magistratus, & decem Civibus communiori calculo habitis pro prudentibus, sapientibus, & ad commune bonum procurandū aptis conflatur; eo quo decebat obsequio, ut morem gererem, auditisque partibus, eorumque rationibus, & motivis mature perpensis, fui in voto Dominos reos conventos manutenendos fore, ac esse in sua possessione, vel quasi lecturarum sibi concessarum.

23 Constabat enim Dominos Doctores reos conventos per plures annos ante Actores fuisse laurea doctorali donatos, & tanquā habentes omnia requisita fuisse ab ipsa Congregatione licentiatos ad legendum sine honoratio, ut solet, & de facto eos cepisse legere, undè secundum constitutiones Studii nostri generalis jus eis erat quæsitum ad Cathedras primo vacaturas cum honorario, in quorum executione cathedras, & lecturas vacantes consecuti sunt, undè manutenendi ad notata per *Postium de Manu-tenen. observat. 15.*, & *observat. 71.*

24 Contra unum excipiebant actores, per annum fuisse absentem à Civitate, esto quod Patavii moratus sit ad ediscendam perfectiorem praxim in arte, ex decretis autem Congregationis præfatæ emanatis, altero sub die 12. Septembris 1674., altero sub die 26. Octobris 1694., hujusmodi absentes per annum jura ancianitatis perdere, atque lecturæ locum, & meritum, ita ut nova indigeant licentia si revertantur in patriam.

25 Exceptio autem irrelevans visa est, quia cum licentia ab Illustrissimo D. Sapientum Judi-

- Judicem, & uno reformatore tertio absente reportata abfuisse comprobatum est, neque enervabat vim solutionis, quod ab actoribus replicabatur, licentiam à solo Sapientum Judice, & uno reformatore concessa prodesse non posse, dum studii constitutiones requirant veniam concedendam ab ipsa studii congregatione.
- 26 Replicatio enim multis rationibus tollitur primò, quia D. Judex Sapientum, & Reformatores in hoc casu, & in favorabilibus tamquam capita, & principales totam congregationem representant, ad tradita per *Barbat. de Præstantia Cardinalium lib. 1. p. 1. col. 14.*, *Felin. in Proemio decretal. V. Gregorius sub num. 13.*, *Tamburin. de Jure Abbatum tom. 1. disp. 17. q. 3. fine*, *Barbosa de appellativa verborum appellat. 15. n. 2.*
- 27 Secundò. Quia D. Judex Sapientum cum solis reformatorebus consuevit hujusmodi licentias concedere, nec unquam validitas in controversiam fuit revocata, undè licentia, & facultas concessa solidatur, *l. Minima ff. de legib. l. Si de Interpretatione ff. eodem cap. cum libellus de consuetud. Gutierrez. practicarum qq. lib. 3. q. 62. nu. 26.*
- 28 Tum, quia usus, & consuetudo semper inoruit toti congregationi, & nemo se opposuit, undè totius congregationis præsumitur approbatio, ad *tex. in l. penult. C. Communia divid. l. Solemnibus C. de rei vendic. cum alleg. per Menoch. de præsumpt. lib. 6. Præsumpt. 99. n. 15.*, & ad *tex. in C. continebatur*, ubi *Barbosa num. 4. de his quæ sunt à Prælati sine consensu Capituli, Rota decis. 513. nu. 5. p. 1. recent.*, *Mascard. de probat. concl. 1158. num. 47.*
- 29 Tertio, quia non constat, neque probatum est, asserta decreta fuisse sufficienter publicata, ut necesse erat ad hoc, ut haberent vim legis, & obligarent eos, qui non interfuerant Congregationi, cum ageretur ad penam amittendi Jura ancianitatis, & habilitatis ad lecturam, *cap. 1. de Posul. Prelat. cap. In istis dist. 4.*, ubi *Barbosa num. 2. & in cap. cognoscentes num. 6. de conslit. l. leges C. de legib.*
- 30 Neque præsumuntur publicata, quia est quid facti. *Barbosa in dicto cap. Cognoscentes nu. 11. de Conslit. Rota decis. 747. nu. 4. p. 2. recent. Farinac. pract. crim. q. 1. nu. 23.*
- 31 Quarto, quia sub fide publica concessa fuit facultas de qua agitur, non ergo obti-

nens debet fraudari, leges enim ita abortient deceptiones sub fide publica, ut sustineant actus dato communi errore, & titulo colorato, etiam ubi non esset Jurisdictionis, quam potius supplet, ad *tex. in l. Barbarius ff. de officio prætor. & in cap. Decet concessum à Principe beneficium esse mansurum 16. de reg. Jur. in 6.*

32 Quintò, tum quia, qui auctore Prætor operatur, non delinquit neque est locus pænæ. *D. Thom. 2. 2. q. 108. art. 4.*, & *prima 2. q. 87. art. 7. & 8.*, *l. Sancimus C. de pænis c. non asseramus ad finem 24. q. 1.*, & ad allegata per *Tuscum littera P. concl. 208. argumento ex l. Gracchus C. ad l. Juliam de adult.*

33 Sextò, quia dubium non leve erat, num decretum editum de anno 1674. sortitum sit suum effectum, cum de anno 1694. & sic post licentiam, & facultatem concessam, extimaverit Illustrissima Congregatio decretum renovare, undè in hoc dubio, non potest esse locus pænæ, *l. Respicendum C. de pænis.*

34 Septimò, etiam dato, sine præjudicio veritatis, quod decretum emanatum de anno 1674. fuisset validum, non tamen prodest Actoribus, attentis verbis in eo insertis (che la dispensa non potrà pregiudicare à quelli, che in detto tempo haveffero faticato più di lui) consideratis verbis (in detto tempo) idest tempore quo dispensatus abest ab ista Civitate, nam quando D. Doctor contra quem data est exceptio, ab fuit cum licentia, Domini actores nondum erant laureati, immò post duos annos lauream doctoralem susceperunt, unde de eo tempore, quo ille fuit absens, Domini actores non potuerunt sustinere labores lecturæ, ad quam nondum erant habilitati. *arg. ex l. in delictis §. si extraneus ff. de noxal. act. l. Titius ubi Bartol. ff. de testa. milit. cap. si eo tempore de rescript. in 6.*, *Rota decis. 496. n. 2. p. 1. recent.*, *Cerro decis. 344. nu. 3.*, *Coccin. decis. 2345. n. 35.*, ubi quod habitas superveniens post factum non prodest.

35 Octavo. Quia Doctor reus conventus, & contra quem proposita est exceptio, post annum reversus in patriam reasumpfit exercitium lecturæ nemine contradicente, & perseveravit semper in pacifica possessione sui Juris, undè intrant allegata per *Lancellot de*

*de attent. cap. 4. ampliati. 1. num. 13.*, *Seraphin. decis. 432. num. 4.*, *Rota decis. 74. p. 1. & decis. 411. p. 2. recent.*, ubi quod possidens continuando non attentat.

36 Nondò, quia cum Illustrissima Congregatio fuerit cerciorata de illius reversione in Patriam, reasumptione exercitii lecturæ, & permittit, censetur tacite declarasse, illi nullum præjudicium sub sequutum, sed Jura sua salva esse. *Menoch. de Præsumpt. lib. 3. Præsumpt. 9. num. 10.*, *Barbosa in reg. Qui tacet de reg. Jur. in 6.*, *leg. Qui tacet ubi Cagnol. ff. de reg. Jur. l. 2. C. de Acquir. poss. Coccin. decis. 1568. num. 23.*

37 Non ergo poterant Domini Rei conventi privari jure suo sine culpa, & sine justa causa, quia hoc esset in pœnam, quæ delictum supponit, asserret dedecus, & lucri amissionem, propter tractum successuum ascenderet ad summam considerabilem, quibus non debent subiectari contra Jus, & fas, ad allegata per *Barbosam tract. de axiomat. Jur. axiom. 181.*

38 Asserebant D.D. Actores delictum Reorum consentire in negligentia, & omissione, quatenus continuè, non legerint in Almo Ferrariensi Studio, pro ut decernunt Studii ejusdem Constitutiones, & potissimum *cap. 9.*; Ubi statuitur, quod qui plus legerit, idest ut interpretabantur, (plures lectiones habuerint) præferantur ad Cathedram cum stipendio consequendam, posthabitis qui minus legerint, & hoc in pœnam negligentia.

39 Ad probationem propriæ diligentia producebant attestations Bedelli, qui eos semper continuatè, & sine ulla intermissione accessisse ad Scholas Studii, secumque duxisse auditores, atque in Cathedra legisse, attestabatur, e contra verò Dominos Reos conventos per integras tertiarias omisisse legere, in aliis tertiariis interpellatè legisse, & non raro accessisse quidem ad locum Cathedre, sed ex defectu auditorum non legisse, quibus attestationibus standum esse, tamquam ex officio Bedello incumbente factis non solum pro tertio, sed & contra tertium probant, *Bartol. in l. Quædam §. numularios ff. de edendo, Jason. in repet. l. Admonendi num. 112. ff. de Jure Jur. Riminald. Junior. consil. 334. num. 26. lib. 3.*, *Seraphin. decis. 431. num. 5.*, *Coccin. decis. 1920. num. 1.*

40 Pro solutione consideranda sunt verba primo loco in allegato *cap. 9. constitutionum* posita (qui plus legerit) & notandum quod loquitur in casu affirmativo, deinde dictio (Plus) comprehendit tam lectiones nempe plures lectiones comparativè, quàm tempus, idest longiori tempore, *Menoch. consil. 279. num. 7.*, *Barbosa de dictione. dictione 264. num. 6.*, & colligitur ex verbis subsequentibus ejusdem capituli (che in parità di lettura con gli altri sarà prima Dottore) quæ important prioritatem temporis in doctoratu, ex quibus sequitur, quod licet interpollate Domini Rei legerint, tamen cum per plures annos ante Actores doctorati fuerint, & ratione longioris temporis potuerint lectiones numero æquales habuisse, ex hoc capite nec major Actorum negligentia, nec Reorum negligentia censetur probata, dum possibilitas in contrariu excludit certitudinem probationis *cap. in presentia §. quare de probat.*, ubi *Barbosa n. 19.*; Unde fides, seu attestatio *Bedelli*, tamquam incerta, & obscura nihil probat, *Farinac. q. 86. num. 76.*, & *q. 125. §. 1. nu. 423.*, & *seqq.*, *Coccin. decis. 2342. nu. 24.*

41 Nequè ex *cap. Quartodecimo earundem Studii constitutionum* diversa potest colligi interpretatio, ubi dicitur, quod in casu quo aliquis omittat legere, alius, qui plus laboraverit, præferatur in electione ad lecturam; primò, quia loquitur de tali, & tanta omissione, & negligentia in legendo, ut alius in numero lectionum longe superet, quod non probatur evenisse in hoc casu; secundò, quia caput 14. loquitur in casu quo conferendæ sint lecturæ ordinariæ, cum majori lucro, quales non sunt lecturæ de quibus D. Actores instant, unde diversorum diversum est Judicium, *l. inter stipulantem §. sacram ff. de Verb. oblig. Gratian. decis. Marchie 32. num. 8.*, & *decis. 42. num. 10.*, *Everard. topica Jur. à ratione legis. sub num. 17.*

42 Immodè elici potest argumentum, quod cum Constitutiones prædictæ in *cap. 14.* comprehendant, & puniant casum negligentia expressè, non sic in *cap. 9.*, idè negligentia virtute hujus capituli in quo se fundant actores non puniatur, sed sit casus omissus, *l. Commodissime ff. de liber. & posthum. cap. inter corporalia de translat. Epis.*

43 Tum quia, ut supra notatum est, negligentia